

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3896

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Rouen (chapitre cathédral)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1281, juillet

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, vidime la charte de Mathieu de Trie, seigneur de Fontenay, et sa femme Marie de Moret et approuve la vente faite par cette charte au chapitre de Rouen d'une rente annuelle de 4 livres 17 sous et un denier et des redevances qu'ils avaient eu au quartier du Tot dans la paroisse de Petiville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 967, p. 245-246.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos litteras Mathei de Trya, militis, domini de Fontaneto et Marie de Moret, ejus uxoris, vidimus in hec verba : Omnibus hec visuris et auditoris, Matheus de Tria miles, dominus de Fonteneto et Maria de Moret, ejus uxor, salutem. Noveritis quod nos, pro urgenti necessitate et evidenti utilitate nostris, vendidimus et titulo venditionis omnino concessimus viris venerabilibus et discretis decano et capitulo Rothomagensibus pro sexcies centum et sexaginta libris turonensium nobis ab eis persolutis in pecunia numerata, de quibus tenemus nos pro pagatis, renunciantes quoad hec exceptioni non numerate peccunie, non solute, quatuor libras decem et septem solidos et unum denarium annui redditus, septem anseres, viginti tres capones, decem et novem gallinas, decem boissellos bladi, quinquaginta quinque ova, et triginta garbas annui redditus, triginta quatuor acras novorum mariscorum, et septem acras veterum, item corveias et alias redevancias annuas, que premissa omnia habebamus, ex parte mei predictae uxoris, in villa et territorio du Tot in parrochia (sic) de Petitvilla supra Secanam prope Gravenchon in Caeto, et quicquid aliud habebamus, reclamabamus, et habere vel reclamare quocumque modo poteramus in villa et territorio predictis, in terris, redditibus, hominibus, hommagiis, releveis, corveiis et rebus aliis quibuscumque. Que omnia et singula eisdem decano et capitulo ex toto admortuata vendidimus ab omnibus dominis secularibus et terrenis, et prorsus exempta ab omni et qualibet jurisdictione cujuscumque domini temporalis, tenenda, habenda et perpetuo de cetero possidenda a dictis decano et capitulo et eorum successoribus, bene et in pace, libere et quiete, et ad faciendum exinde modis omnibus tanquam de suo proprio suam plenariam voluntatem, sine aliqua reclamacione, contradicione, oppositione vel impedimento nostri et nostrorum heredum seu alicujus eorum de cetero faciendis. Promisimus etiam ac promittimus, fide prestita corporali, dictis decano et capitulo, quod hujusmodi venditionem et concessionem rerum predictarum eisdem a nobis, ut predictum est, factas ratas, gratas et firmas habebimus et firmiter servabimus et tenebimus, et quod contra nullatenus veniemus per nos vel per

alium seu alios in futurum, immo res ipsas omnes et singulas eis adversus omnes et quoscumque in iudicio et extra ad sumptus nostros garantizabimus, quocienscumque ex parte dictorum decani et capituli seu eorum mandati super hoc fuerimus requisiti, vel alias excambiamus in propria hereditate nostra vel alterius nostrum, prout maluerint, valore ad valorem, sub dictis conditionibus atque modis, obligantes quoad hec eisdem decano et capitulo nos et heredes nostros, et omnia bona nostra et heredum nostrorum, mobilia et immobilia, presenciam et futura, renunciantes, quoad hec omnia et singula, penitus et per fidem predictam exceptioni doli mali, deceptionis ultra medietatem iusti precii et cuiuslibet alterius deceptionis, et omni privilegio crucis sumpte et assumende, et omni et cuiuslibet usui, consuetudini et statuto patrie et religionis, beneficioque epistole divi Adriani, constitutioni de duobus reis, et auctentice presente utroque, ac petitioni exhibitionis presentis instrumenti et oblationi libelli, et omni alii facti et iuris auxilio quod nobis posset prodesse et dictis decano et capitulo obesse modo aliquo in hac parte, omniumque iurium auxilio dicendum renunciacionem generalem non valere, et iuri quod necdum competit renunciare non posse. Volumus insuper ac expresse consentimus, sub obligatione et renunciacionibus antedictis, quod, si in predictis rebus venditis minus in aliquo repertum fuerit hinc usque ad tres annos quam quod superius est divisum, diminuetur de dicto precio pro rata, et de eo jam nobis persoluto pro dicta rata eis restituere teneamur. Juravi etiam ego predicta uxor ad sancta Dei euangelia, spontanea, non coacta, quod in predictis rebus vel earum aliquibus, ratione dotis, dotalicii, donacionis propter nuptias, maritaggi impediti, seu etiam incombrati, hereditatis, successione, escanchie, vel quacumque alia ratione, michi competenti vel in futurum competitura, nichil penitus de cetero reclamabo nec dictos decanum et capitulum aut eorum successores vel causam ab eisdem habentes in aliquo foro ecclesiastico vel seculari super premissis per me vel per alium aliquatenus molestabo. Et ut hec omnia rata et firma permaneant in futurum, nos dicti Matheus et ejus uxor sigilla nostra presenti carte duximus aponenda, et supplicamus et requirimus illustrissimo domino nostro regi Francorum, ut ipse premissa superius expressa confirmet sub sigillo suo. Datum die lune post translationem Sancti Benedicti, anno Domini M^o ducentesimo octuagesimo primo, mense julii.

Nos autem quod liceat dictis decano capitulo tenere res predictas, sine coactione ponendi extra manum suam, volumus et concedimus, salvo jure nostro in aliis et jure in omnibus quolibet alieno. In cuius rei testimonium, presentes litteras sigilli nostri impressione fecimus communiri. Actum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, mense julio.

Omnibus hec visuris, officialis Rothomagensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in presentia magistri Roberti de Falesia, clerici curie Rothomagensis, notarii jurati, ad hoc a nobis specialiter destinati, constituta nobilis mulier domina Maria de Moret, uxor nobilis viri domini Mathei de Trya, militis, domini de Fonteneto, recognovit, etc. Datum et actum coram dicto jurato nostro anno Domini M^o CC^o octuagesimo primo, die jovis post festum beate Marie Magdalene, mense julii.